



I. De peruersa institutione scholastica

Praeceptores et praecones sermonis Latini facillimam esse pronuntiationem clamant: omnia sic enuntiari ut scriptum sit. Quod in Caesare et Nepote sane uerum uidetur, falsum tamen, ubi ad Ouidium aut Phaedrum uentum est. Tum noua monstra subito ingeruntur discipulis: „elisiones“, syllabae breues et tamen „positione longae“, „ictus“ siue „accentus“ metrici, quae a natura longe distant: Pro *Aenēadum génetrīx hómīnum* ... [Lucr. 1, 1] dicendum est *Áeneadum genetrīx hominūm* ... Quam difficilis pronuntiatio! Non mirum quod et discipuli et magistri multi uersus reformidant, pro Vergilio Ciceronem amplexantur. Contra in carminibus recentium linguarum, ut Germanicis, Anglicis, Francogallicis, nemo haeret. Cur ista differentia inter nouas linguas ueteresque?

Ex eo quod tota ista institutio Latina peruersa est. Quae non ut in ceterarum linguarum disciplinis a fundamento oritur, a phonetica, i.e. ab omni genere pronuntiationis, a litteris uerbis accentibus colis et ceteris. Haec si rite percepissent discipuli, nulla esset difficultas in uersibus legendis. Nam lex uniuersa ualet etiam in lingua Latina: **uersus utique legendi sunt ut uerba numeris carentia siue prosa** – modo ea recte legantur!

At sunt quaedam, aiunt, leges prosodiacaе, quae tantum ad metricam et carmina pertinent. Minime! **Omnes leges prosodiacaе leges sunt linguae uniuersae**, ubique, etiam in prosa, ualentes. Falsa ista opinio oritur e falso ordine institutionis, in qua ea, quae linguae sunt, sero tamquam praecepta artis metricae docentur. Sequuntur grauissima praecepta phonetica tam ad carmina quam ad prosam eloquentiam pertinentia.

II. De syllabis

- (a) Omnis syllaba aut longa aut breuis est. Id non fit, ut in multis aliis linguis, ut sint etiam semilongae, semibreues, sed ut omnes in duas classes discedant, certa ratione distinctas.
- (b) Nam longa syllaba est duorum temporum, breuis unius („Moren“, „Zeiteinheiten“):
In *Sy-e-bi-g* ◡—◡◡ secunda syllaba duorum, ceterae sunt singulorum temporum;
tota uox quinque temporum; contra *Ger-ma-ni-g* —◡◡◡ habet sex tempora.
Tempora commode notari possunt digitorum pulsu: in *Ger mania* *Ger* et *ma* bis pulsantur, ceterae semel.

- (c) Longae syllabae aut natura (I), ut dicunt, aut positione (II) longae sunt:
natura (I), si uocalis longa est, ut secunda in *Suebia* et *Germania*, positione (II), si uocalem sequuntur duae pluresue consonantes, ut prima in *Germania*, secunda in: *harundo* ◡— — [Quo loco est quaedam (non maxima) dissensio inter uiros doctos, quorum nunc plurimi positione longam syllabam definiunt eam, quae occlusa sit, i.e. desinat in consonantem.]

Quomodo id efficitur? Morando siue subsistendo in ea consonante quae syllabam finit. Id facilius fit in litteris liquidis spirantibusque (*l, r, f, s*) et nasalibus (*m, n*) quam in mutis siue occlusiuis (*p, b, c, g, t, d*), ubi tamen sequi licet exemplum Italarum: lat. *bucca* ut it. *bocca*; similiter etiam lat. *pectus* (mora posita inter „implosionem“ et „explosionem“, ut nunc phonetici dicunt), *aptus*, *abdo* etc.

Hic pessime quidam credunt hanc positionem artificiale inuentum esse poetarum inter se contra naturam conspirantium. Sed uel e lege accentus cognoscitur hanc quoque positionem naturalem esse: Tam acuitur (i.e. accentum habet) secunda syllaba in *hirundo*, ubi positione longa est, quam in *hirudo*, ubi natura longa.

Inueterata autem sunt hoc loco duo genera peccatorum in pronuntiando: aut (1) producent uocalem in syllaba tantum positione longa, ut in */harundo/*, aut (2) neglegunt longitudinem, praesertim cum accentus syllabam positione longam subsequitur, ut in */harundinibus/*, */peccatum/*, */sollicite/*. Hoc secundum (2) uitium praesertim Germanorum et Anglorum est. Primum (1) uitium oritur e pessima scribendi consuetudine: eodem signo notare solent lexicographi productionem uocalis et metrici productionem syllabae, ut cum scribunt: *ūniuērsitās*. Vbi natura longa est *u* et *tas*, positione longa *uer*.

Melius esset syllabarum dimensiones non supra uocalem, sed infra notare: *uniuersitas* (aut *Ārma uirumque cāno Troiae qui primus ab oris ...*)

- (d) Positio non ualet (ut omnibus notum est) in coniunctione mutae cum liquida, ut in *tenebrae*, *uolucris*, *assecla*. Atque hic est quaedam differentia inter uulgarem et poeticam pronuntiationem: In communi sermone muta cum liquida nusquam efficit positionem, ut cognoscitur ex accentu: *ténebrae*, *uólucris*, *ássecla*. In poetica dictione ea syllaba interdum pro longa habetur (et pronuntiat!), ut cognoscimus e celeberrimo uersu Ouidi: *et primo similis uolucris, mox uera uolúcris* (met. 13,607).

III. De coniunctione uerborum

- (a) Verba inter se in pronuntiando coniungenda sunt, ut lex positionis etiam in confinio uerborum ualeat: *flumen magnum: men* longa syllaba; *flumen altum: men* breuis syllaba. Excipiuntur duplices consonantes in initio uerbi: *commune scelus*.
- (b) Vbi alterum uerbum in uocalem (aut uocalem + m) desinit, alterum a uocali incipit, uerba inter se per synalipham (siue elisionem) coniungenda sunt, ne hiatus fiat. Hoc in scholis docetur, quasi ad solos uersus pertineat – falso! Hiatus etiam in pronuntiatione prosae orationis uitandus est: *Qu(o) usque tand(em) abutere, Catilina [...] O tempor(a) o mores!*
- (c) Haec uerborum coniunctio et quasi concatenatio interrumpitur tantum in pausa //, quae fit in oratione prosa post membrum (κῶλον, colum) finitum, in carmine post uersum finitum. Membrorum distinctio non semper certissima est, ut in: *Senatus haec intellegit, consul uidet: hic tamen uiuit! // Viuit? ...* – ubi possis etiam: *Senatus haec intellegit, consul uidet: // hic tamen uiuit! // Viuit? ...* Versus contra certissime distinguuntur, ut in: *Tityre tu patulae recubans sub tegmine fagi // siluestrem ...* Hoc loco pausa // occasio dicenti datur respirandi. Quae in uersu cognoscitur ex eo quod in fine uersus 1. elementum anceps est ≈ (i.e. syllaba aut breuis aut longa, nonnumquam scripta ×), 2. hiatus admittitur, 3. synalipha (*elisio*) uetatur.
- (d) Eadem ratione intelligimus in caesura uersuum non inculcandam esse pausam, quo loco multi peccant: *Tityre tu patulae // recubans ...* aut *Maecenas atavis // edite regibus*. (Hoc si uerum esset, elementum anceps esset in caesura.) Caesura multum ualet in componendis uersibus, non in pronuntiandis.

IV. De accentibus

- (a) Regula uniuersa (paene) omnibus nota: Si paenultima syllaba longa est, ipsa acuitur (i.e. accentum habet): *natura*, *harundo*; si breuis est, acuitur antepaenultima: *Germania*. Id ualet in prosa ut in carmine. (Neglegimus hoc loco distinctionem accentus acuti, *Rómae*, et flexi, *Rôma*, de qua magna disputatio est inter uiros doctos.)
- (b) Hoc loco scholarum consuetudo a ueritate plurimum differt: Pro ueris accentibus perperam adhibentur „ictus“ (siue „accentus metrici“), qui dicuntur, fere certis interuallis recurrentes, plerumque (non semper!) in syllabis longis positi. Vt haec est falsa scholarum cantilena:

in hexametro: — ∞ — ∞ — ∞ — ∞ — ∞ — ∞

Títýre tú patulaé recubáns sub tégmíne fági (Verg. ecl. 1,1)

in pentametro: — ∞ — ∞ — ∞ — ∞ — ∞

cóntactúm nullís ánte cupidíníbús (Prop. 1,1,2)

in senario: ∞ ∞ ∞ ∞ ∞ ∞ ∞ ∞ ∞ ∞ ∞

homó s(um) humáni níl a m(e) álienúm putó (Ter. Haut. 77)

in sapphico: — ∞ — ∞ — ∞ — ∞ — ∞ — ∞

dúlce ridentém Lalagén amábo (Hor. carm. 1,22,23)

- (c) Hoc falsum esse multis argumentis comprobatur:
1. e similitudine aliarum linguarum, quarum in carminibus nusquam accentus mutantur;
 2. e testimoniis grammaticorum Latinorum: qui nihil de accentibus mutandis in uersibus praecipunt;

3. e numeris in eloquentia prosa adhibitis, ut in hoc dicretico (Cic. Cat. 1,1):

... *coniuratio-nem túam non uídes*, certe non: *-ném tuám nón uidés*.

4. ex historia institutionis scholasticae:

Et medio aevo et aetate recentiore usque ad finem decimi sexti saeculi uersus secundum accentus naturales legebantur; saeculo decimo septimo demum ictus diuulgari coepit. Ad falsam doctrinam multum contribuerunt Isaac Vossius (1673), Richardus Bentleius (1726), Godofredus Hermann (1826, qui uoce *ictus* primus usus est). Veriorem doctrinam restituerunt Johannes N. Madvig grammaticus Danus (1843), Fridericus Nietzsche philosophus (1870/71), alii.

V. De disciplina uersuum recte legendorum

Ratio facilis uidetur: uersus pronuntientur ut prosa – modo id recte fiat, i.e. syllabarum dimensionibus diligentissime seruatis. Sed eheu! Facile id quidem Romanis pueris puellisque, qui ueram pronuntiationem a nutrice didicerunt – nobis non item, qui a magistris malis male pronuntiare didicimus. Quare uix fieri posse uidetur, ut simul syllabarum dimensiones et accentus seruemus. An desperandum (ut nuper Boldrini)?

Minime. Etiam in uersibus sero id addisci potest, quod antea turpiter negleximus. Adire debemus artem musicam: nam in canticis facile est longas notulas a breuibus discernere,

ut tempora bina singulis respondeant: — ◡ = 

Hanc rationem didacticam primus inuenit Conradus Celtis P.L. professor in uniuersitate tum Ingolstadiensis; cuius iussu Petrus Tritonius musicus Tiroliensis tales modos ad carmina Horatiana fecit quaternis uocibus canendos (1507). Vt ad stropham alcaiam (Hor. Carm. 1,9,1–4):



Vi-des ut al-ta stet ni-ue can-dí-dum So-rac-te nec iam sus-ti-ne-ant o-nus sil-uac la-bo-ran-tes ge-lu-que flu-mi-na con-sti-te-rin-t a - cu-to.

Vides ut alta stet niue candidum Soracte nec iam sustineant onus

◡ — ◡ — — — ◡ — ◡ || — — ◡ — — — — ◡ — ◡ ||

siluae laborantes geluque flumina constiterint acuto.

— — ◡ — — — ◡ — ◡ || — ◡ — ◡ — ◡ — — —

Sed nos a simplicioribus incipiamus!

(a) Incipimus a Catulli trimetris, qui constant e puris iambris, ut appellant metrici:

◡ — ◡ — ◡ — ◡ — ◡ — ◡ — ◡ — ◡

Falsa scholarum cantilena haec est (Catull. 29, 1–5): *Quis hóc potést uidére, quis potést patí* ..., cum uera sit:

Quis hóc pótést uidére, quis pótést páti,
nís(i) impudícus et uórax et áleo?
Mamúrr(am) habére, quod comáta Gállia
habébat ánt(e) et última Británnia!
cináede Rómul(e), haec uidébis et fères?

Hoc ut discamus, hic ordo exercitationis utilis uidetur, qui habet quattuor gradus:

1. Primum sic legendum, ut nulla ratio sit accentuum, nedum ictuum, ad pulsum digitorum, qui singula tempora notant:

Quis hoc po-test ui-de-re, quis po-test pa-ti

2. Deinde idem transferatur ad modos musicos: primum sic, ut omnia eodem tono cantentur:


Quis hoc po-test ui-de-re quis po-test pa-ti

3. Postea acutas syllabas (quae accentum habent) a grauibus sic distinguimus, ut acutae edantur acutiore tono (monosyllabis neglectis):


Quis hoc po-test ui-de-re quis po-test pa-ti

4. Denique id ipsum iterum oratione pura sine modis exprimere conamur.

- (b) Proximus erit **hexameter dactylicus** (paulo difficilior tironi, quia pro dactylis — ∪ etiam spondei — — ponuntur): — ∞ — ∞ — ∞ — ∞ — ∪ — ∪ (Verg. ecl. 1, 1–5)

*Tityre tu pátulae récubans sub tégmine fági
siluéstrem ténuí Músam meditáris auéna.
nos pátriae fnis et dúlcia línquimus árua,
nos pátriam fúgimus: tu Tityre léntus in úmbra
formósam resonáre dóces Amaráyllida síluas.*

Is quoque per quattuor gradus ducendus erit.


- (c) Accedat **pentameter**: — ∞ — ∞ — — ∪ — ∪ ∪, ut sit distichon elegiacum plenum:

*Árma gráui número uiolentáque bélla parábam
édere matéria conueniēte módis.
Par érat inférior uérsus: risísse Cupído
dicitur átu(e) ún timeripúisse pédem.
Quis tibi, sáeue púer, dédit hoc in cármina iúris:
Piéridum uátes, non túa túrba súm us.*

Hunc dum ducimus per quattuor gradus, curandum est in medio pentametro ne pausa fiat, quam inserere solent qui ictum adhibent.

Sed nominatur pentameter ex hac scansione: — ∞ // — ∞ // — — // ∪ — // ∪ ∪

- (d) Transeamus ad carmina **lyrica**, quorum e magna parte id proprium est, quod non in certos pedes diuidi possunt: ergo inaequales etiam sunt temporum dimensiones.

Vt in notissimo **phalaeceo** hendecasyllabo: 

post spondeum et dactylum (qui sunt quaternorum temporum) sequuntur tres trochaei (ternorum temporum) aut creticus et baccheus (quinorum temporum).

*Pásser delíci ae mé ae puéllae,
quícum lúde re qu(e) m in sínu tenére,
cui prímu m dígitu m dá r(e) appeté nti
et ácris sólet incitá re mórsus. (Catullus carm. 2, 1–4)*

Sed quoniam hoc genus uersuum (ut omnia lyrica) saepe ad ueros modos cantabatur, iuuet nos quoque uerissimo cantico uti, quod composuit Jan Novák musicus: *Cantica latina*, 1985 (VII, p.20, *Passer*).



Musical score for the Latin song 'Passer'. The score consists of three staves of music in treble clef with a key signature of one sharp (F#). The lyrics are written below the notes.

Pas - ser, de - li - ci - ae me - ae pu - el - lae, qui - cum lu - de - re,
 quem in si - nu te - ne - re, cui pri - mum di - gi - tum da - re ap - pe -
 ten - ti et a - cris so - let in - ci - ta - re mor - sus,

- (e) Simpliciora sunt quaedam (non omnia!) **cantica Plautina**. Vt in hoc paraclausithyro inter se subsequuntur puri **cretici** — ◡ — ◡ — ◡ — ◡ — ..., quare omnes pedes siue partes quina tempora habent: quam iucundum!

*Pessul(i) heus pessuli, uos saluto libens,
 uos amo, uos uolo, uos pet(o) atqu(e) obsecro:
 gerit(e) amanti mihi mor(em) amoenissumi,
 fite causa mea ludi barbari.* (Curc. 147–150)

Haec dum cantamus ad modos Novakianos (IV, p.14, *Paraclausithyrum*), in scaena Romana nobis uersari uidemur.

- (f) At notissimi sunt numeri Horatiani, inter quos duae strophae eminent: alcaica et sapphica. utraque quaternos uersus habet, utraque cantibus aptissima.

Haec est **sapphica**: 3 x (— ◡ — — ◡ — ◡ — ◡) — — ◡ — ◡

Quam modis Novakianis sic cantare licet (Hor. carm. 3,18,1–8) (XI, p.28, *Ad faunum*):

Musical score for the Sapphic stanza from Horace's 'Ad faunum'. The score is marked 'Festive' and consists of four staves of music in treble clef with a key signature of one sharp (F#). The lyrics are written below the notes.

Fau - ne, Nym - pha - rum fu - gi - en - tum a - ma - tor,
 per me - os fi - nis et a - pri - ca ru - ra
 le - nis in - ce - das ab - e - as - que par - vis
 ac - quis a - lum - nis,

INDEX LIBRORVM

- Daitz, Stephen G.: *The pronunciation and reading of Classical Latin*, Londini 1984 (duae casetae cum libello)
- Kabell, Aage: *Metrische Studien II: Antiker Form sich nähernd*, Uppsala 1960
- Novák, Jan: *Cantica latina*, Monachii 1985, ISBN 3-7608-1895-1; prostat apud <http://www.antike-zum-begreifen.de>
- Stroh, Wilfried: „Der deutsche Vers und die Lateinschule“, *Antike und Abendland* 25, 1979, 1–19 (de historia recitationis scholasticae)
- Idem: „Kann man es lernen; lateinische Verse zu sprechen?“, in: Peter Neukam (ed.), *Begegnungen mit Neuem und Altem* (Dialog Schule & Wissenschaft, Klassische Sprachen und Literaturen Bd. 15), Monachii 1981, 62–89; it. in: W. Stroh, *Apocrypha*, Stutgardiae 2000, 245–261
- Idem: *Proben lateinischer Verskunst*, Monachii (1980), 2007 (duo phonodisci compacti cum libello); prostat apud <http://www.antike-zum-begreifen.de>
- Waiblinger, Franz Peter: „Zur Einführung in das Lesen lateinischer Verse“, *Anregung* 37, 1991, 379–386

Scrīpsit

Prof. Dr. Wilfried Stroh (Valahfridus)
stroh@klassphil.uni-muenchen.de
www.lrz-muenchen.de/~stroh

Typis expressit

Christiane Berres, M.A. (Christiana Culinaria)
info@c-berres.de
www.c-berres.de

Adiuuit

Brian Bishop (Brennus Legranus)
brennus@legranus.freeseerve.co.uk